

comitante, ut per se patet, et in libro 5 dicitur. Et ideo tale auxilium potest esse debitum modo prædicto, et actu non dari, quia ex parte Dei non denegatur, imo semper est paratum sub prædicto modo et conditione, et quoties de facto non datur, positus aliis prærequisitis ad agendum, solum est ex defectu conditionis ex parte hominis deficientis. Dicta vero conditio non ita locum habet in auxilio efficaci physice præveniente voluntatem, quia tale auxilium, ut actu conferatur, non potest pendere ex libero usu voluntatis, ut in libro quinto ostendamus. Ex quo (ut dicebam in principio) potius infertur nullum esse tale auxilium efficace, quod possit esse generale, aut necessarium ad liberam actionem voluntatis; tum quia necessitas illa non esset composita, sed absoluta, cum non pendeat ex usu libero voluntatis; tum etiam quia ex ipso quod tale auxilium determinatum pro solo Dei arbitrio dari dicitur vel negari, est evidens argumentum, illud non pertinere ad concursum generalem, et essentialem dependentiam secundæ causæ a prima in agendo, ut ex dicendis in sequenti capite patebit.

15. *Quomodo intelligitur hoc debitum auxilii generalis, et respectu cuius.* — Quæret fortasse aliquis an hoc debitum intelligatur solum respectu ejus qui ex habitu operatur; videri enim potest ita esse asserendum, quia hoc auxilium non debetur voluntati secundum se spectatæ, sed ratione virtutis supernaturalis; ergo non habenti habitum non debetur hoc auxilium. Respondetur argumentum concludere non deberi debito connaturalitatis; nihilominus tamen alia ratione dicendum est, ex convenienti ordine divinæ providentiæ, peccatori jam sufficienter excitato ad fidem, vel poenitentiam, vel similes actus, moraliter esse debitum hunc concursum. Ratio est, quia licet excitatio non sit principium physicum, est principium morale sufficiens in suo ordine, et datur ut homo possit moraliter converti; et ideo secundum rectum ordinem providentiæ secum affert paratum auxilium physice adjuvans, si per hominem non steterit, et hoc est morale debitum de quo loquimur. Accedit quod homo sic excitatus potest libere consentire, et ad hunc finem datur illi excitatio, et ab eo sæpe consensus sub obligatione exigitur; ergo tali providentiæ supposita, debetur illi concursus necessarius ad consensum, saltem sub ea conditione, si per hominem non steterit.

16. *An concursus Dei generalis, et ut causæ*

primæ sit necessarius non operanti ex habitu. — Sed quæri rursus potest an in illo qui non operatur supernaturaliter ex habitu, sit necessarius duplex Dei influxus in ipsum actum; unus, quo supplet vicem habitus et agit ut causa proxima, alius generalis causæ primæ. Videtur enim ita necessario dicendum, quia quando habitus adest, habet suum concursum distinctum a concursu generali; ergo quando Deus supplet concursum habitus, adhibet etiam distinctum influxum. Respondetur in re ipsa non esse duos influxus, sed unum eminentiorem virtute, continentem plures, qui ratione possunt tantum distingui. Nam, ut supra dixi, illa actio unica est, et simplex, ideoque etiam respectu principiorum realiter distinctorum, ut sunt causa primæ et secundæ, vel habitus et potentia, non distinguuntur in re tanquam duæ partiales actiones, sed solum habitudine rationis; ergo multo minus poterunt distingui respectu Dei, in quo ratio causæ primæ et proximæ in re non distinguuntur; imo si ibi consideretur Deus præcise ut causa particularis supplens vicem habitus, ille influxus, ut est a Deo, est longe altioris rationis quam influxus habitus, quia iste est influxus principii creati, et ideo postulat concursum causæ primæ: influxus autem Dei est a principio increato, et ideo per se est independens ab omni superiori causa. Unde in tali influxu sic spectato, nec ratione distinguuntur concursus causæ primæ, et influxus Dei ut causæ proximæ, cum neque in ipso Deo distinguantur ratio causæ primæ et proximæ, neque in ipsa actione distingui possint actio causæ proximæ et concursus causæ primæ, quia illa actio per se talis est, ut concursu alterius causæ non indigeat; ita ergo est in dicto influxu Dei in talem actum supernaturalem, præcise spectatum ut est a Deo, ut causa proxima, et supplente vicem habitus. Quia vero actio illa etiam est a voluntate creata, ideo, respectu illius, ille influxus Dei, et habet rationem specialis adjutorii suppletis vicem habitus, et rationem concursus generalis ordinis gratiæ adjuvantis potentiam creatam, et ita potest ibi ratione distingui duplex Dei concursus.

17. *Concursus ille generalis ad actus supernaturales est donum ordinis gratiæ.* — Ultimo, ad quæstionem directe respondendo, dicimus ultimo concursum hunc generalem ad supernaturales actus esse verum donum ordinis gratiæ gratuitum, et speciale respectu concursus generalis ordinis naturæ, quæ resolutio communis etiam est, et singulæ partes facile pro-

bantur ex dictis: nam esse donum ordinis gratiæ ex tertia assertionem manifestum est, quia est donum in se supernaturale, sicut est actus ipse ad quem datur. Esse autem gratuitum probatur, quia per se non datur ex operibus, quia non requirit antecedentia opera. Et licet non detur nisi cooperanti, non tamen datur propter cooperationem, quia nullo modo cooperatio antecedit tale auxilium, sed ad summum est simul cum illo: datur ergo ad operationem cum comitante cooperatione causæ secundæ, gratis tamen datur. Quod si contingat præcedere aliquod meritum, vel impetratio talis auxilii, illud non potest esse fundatum in operibus solius naturæ, sed in fide, et priori gratia; et ideo etiam tunc est donum gratuitum, quamvis non primum, sed tanquam gratia pro gratia, quod satis est ut non sit simpliciter ex operibus; et ideo etiam in gratia excitante idem contingere potest, ut in superioribus sæpe dictum est, et in libro ultimo latius dicemus. Atque ob eandem causam non obstat huic parti assertio præcedens, quia licet hoc auxilium detur ut debitum habitui, vel priori gratiæ, nunquam datur ut debitum naturæ, secundum se spectatæ, et ideo semper illud debitum est fundatum in gratia, et consequenter ipsum auxilium est semper gratuitum tanquam gratia pro gratia. Ex quo etiam facile patet ultima pars de auxilio speciali; nam omne auxilium gratiæ comparatione naturæ est speciale, quamvis respectu prioris gratiæ, præsertim habitualis, vocetur generale in ordine donorum gratiæ, et per quandam convenientiam seu proportionalitatem ad concursum naturæ. Nam sicut iste est communis ad virtutes naturales, ita ille est communis ad supernaturales. Si autem illi duo inter se comparentur absolute respectu naturæ, sic concursus gratiæ est specialis, quia est ultra debitum naturæ; concursus autem naturalis est tantummodo et quasi per antonomasiam generalis, quia non excedit commune debitum naturæ.

18. *Diluitur obiectio.* — Una superest obiectio facilis, quam non omitto, quia ad magis declarandam distinctionem auxiliorum deservire potest. Videtur ergo sequi, ex dictis, ad excitantem gratiam esse necessariam adjuvantem, quod videtur inconveniens: tum quia alias confunderentur istæ gratiæ inter se; tum etiam quia tunc gratia excitans non esset prior quam adjuvans, sed vel ordine naturæ posterior, vel ad summum essent simul, quod est contra supra dicta. Sequela patet, quia

gratia excitans est opus supernaturale factum ab homine; ergo non potest fieri sine concursu Dei ejusdem ordinis: sed talis concursus est gratia adjuvans; ergo non potest fieri sine gratia adjuvante. Respondeo committi æquivocationem in verbo *gratia adjuvantis*; proprie enim dicitur respectu arbitrii libere operantis, et sic omnino distinguitur a gratia excitante, ut excitans est, præsertim loquendo de adjuvante per modum influxus, ut supra probatum est. In hoc ergo sensu negatur sequela, cujus probatio non procedit, quia motus gratiæ excitantis non fiunt a nobis libere. Si autem aliquis omnem concursum Dei ad omnem etiam actionem necessariam vocet auxilium adjuvans, sic verum est Deum efficere in nobis actus gratiæ excitantis, adjuvando et elevando nostras potentias ad illos efficiendos: nam eo modo quo in illis motibus potest distingui via et terminus, seu actio et qualitas, potest etiam distingui auxilium quasi adjuvans potentiam ad agendum a gratia formaliter excitante potentiam. Ille tamen modus loquendi, ut dixi, non est usitatus, sed utrumque sub gratia excitante, sive in fieri, sive in facto esse comprehenditur.

CAPUT XXVI.

COROLLARIA NONNULLA QUÆ EX DOCTRINA SUPERIORIS CAPITIS INFERUNTUR.

Priusquam de concursu prævio in causam dicam, operæ pretium visum est, ex doctrina capitis superioris, nonnullas proprietates seu vera attributa hujus concursus comitantis inferre, ut supponamus ea in quibus nulla fere est dissensio inter eos qui de concursu per influxum in causam dissentiunt, quæ maximam lucem afferent ad intelligendam sententiarum diversitatem in alio puncto de concursu prævio, simulque ad percipiendam efficaciam rationum utriusque opinionis multum conferunt.

1. *Auxilium actuale est aliquid creatum potentiis inherens.* — Primo ergo colligitur, ex dictis, hoc auxilium actuale, quod est per modum concursus comitantis, esse aliquid creatum animæ potentiis inherens. Hoc pro comperto habent omnes Theologi, et philosophi etiam in sua sphaera, quia hic concursus est dependentia operationis creatæ a creatore; ergo est aliquid creatum, seu factum existens in subjecto, in quo ipsa operatio existit. Invenio tamen generatim relatum, sine nomine auc-

toris, quosdam dixisse hunc concursum non esse aliquid creatum, sed voluntatem Dei efficacem, qua vult talem effectum fieri. Et fortasse movebantur, quia hic concursus Dei non potest esse aliquid creatum, nisi per modum actionis Dei transeuntis: at vero Deus non operatur ad extra per actionem transeuntem, ut nonnulli opinabantur, sed per suam increatam volitionem immanentem, quæ est virtute transiens, non actu; ergo illamet volitio erit concursus cum creatura ad operationem ejus. Pro qua sententia allegari potest Capreolus, disp. 1, quæst. 2, præsertim ad argumenta Durandi contra conclusionem. Sed hoc nobis nihil obstat. Primo, quia sententia illa falsa est, nam effectus Dei etiam manant ab ipso per actiones transeuntes respectu ipsius: voluntas autem Dei est principium talium actuum, vel per seipsam, vel per omnipotentiam, quæ est attributum ratione distinctum a voluntate, quæ omnia ex Metaphysica, et ex 1 p., q. 19, 25 et 45 suppono. Secundo, quia etiam data illa sententia, non potest negari quin in ipsamet actione creaturæ intrinsece imbibatur essentialis dependentia, et emanatio a Deo tanquam a primo efficiente principio, sive dicatur emanare ab illo tanquam actio, sive tanquam effectus, sive tanquam passio, vel mutatio quædam creaturæ; quocumque enim modo spectetur, seu appelletur illa dependentia, est concursus Dei simultaneus coefficientis cum causa secunda actionem ejus. Nos vero, quia responsionem priorem veriore existimamus, eandem actionem, quæ est a creatura, ut est a Deo dicimus esse hunc concursum Dei. Et Capreolus, licet supra dicat actionem Dei uno modo esse immanentem, nihilominus etiam docet ipsam actionem externam causæ secundæ esse actionem Dei.

2. *Concursus Dei non distinguitur realiter ab actione creaturæ.* — Secundo, sequitur ex dictis concursum Dei cum causa secunda non distingui realiter vel modaliter ex natura rei ab actione creaturæ, sed tantum ratione rationata, per inadæquatos conceptus ejusdem actionis, cum fundamento in ipsa. Hoc corollarium, quoad priorem partem de distinctione reali perfecta, quæ dicitur esse tanquam rei a re, per se notum est, et extra controversiam, et a fortiori patebit ex altera, quæ probatur, quia si ibi esset distinctio modalis ex natura rei, vel esset tanquam inter duas actiones, vel tanquam inter actionem et terminum; neutrum autem dici potest, quod ita ostenditur. Nam in capite præcedenti, assertione

secunda, ostensum est in effectu causæ secundæ non intervenire actionem aliquam, quæ sit solius causæ secundæ, quia impossibile est causam secundam habere actionem, quæ immediate non manet ab ipso Deo, cum sit aliqualis entis participatio, quæ non potest non fluere immediate ab ente per essentiam; ergo illamet actio, quam elicit causa secunda, manat a Deo, seu Deus immediate influit in illam; ergo ipsamet est concursus Dei cum voluntate creata, non minus in actionibus supernaturalibus quam in naturalibus, nam est eadem ratio. Igitur præter hanc actionem non est necessarium fingere aliam quæ sit a solo Deo, quia vel talis actio tendit immediate ad alteram actionem causæ secundæ, et sic est impertinens, vel etiam impossibilis, quia ad actionem non est alia actio tanquam ad proximum terminum, alias procederetur in infinitum: actio ergo eadem per seipsam fluit a suo principio adæquato, seu ab omni causa, a qua essentialiter pendet; vel talis actio esset immediate ad eundem terminum ad quem terminatur altera actio, et sic est superflua, quia per alteram actionem, quæ simul est a causa prima et secunda, procedit ille terminus pendetque ab utraque causa sufficienter; ergo superflua est alia actio solius Dei tendens ad eundem terminum. Unde tandem concluditur non esse distinctionem modalem, vel actionis ab actione, vel tanquam actionis a termino. Alia autem ex natura rei cogitari non potest; ergo superest ut sit tantum distinctio rationis cum fundamento in re; nam quia eadem actio dicitur habitudinem ad duas causas, ut est causa secunda, dicitur calefactio, verbi gratia, vel volitio; ut vero præcise concipitur, ut est a Deo, dicitur concursus actualis Dei.

3. *Hic Dei concursus distinguitur ab effectu causæ secundæ, seu termino actionis illius.* — Tertio, sequitur ex præcedentibus concursum hunc causæ primæ distingui ab effectu, seu termino actionis causæ secundæ ex natura rei, non propria reali, sed modali tantum distinctione. Probatur, quia actio ipsius causæ secundæ distinguitur modaliter a suo termino: sed hic concursus Dei non distinguitur in re ab actione causæ secundæ: ergo eodem modo quo ipsa actio causæ secundæ a suo termino distinguitur. Consequentia evidens est, quia sicut ea quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, ita etiam e contrario, quæ inter se non distinguuntur in re, necesse est ut a quocumque uno distinguitur, alterum etiam distinguatur. Minor autem probata est in præ-

cedenti corollario. Major vero ex Metaphysica supponitur, quia quæ in re ipsa sunt ita separabilia, ut alterum sine altero manere possit, quamvis non sit reciproca separatio, necesse est in re ipsa distingui, saltem modaliter. Ita vero se habent actio et terminus, ut patet in calefactione ignis, nam illa cessante manet calor. Unde etiam potest firmari corollarium, quia etiam concursus causæ primæ cum secunda ad aliquem terminum est separabilis ab eodem termino, quia quando Deus producit calorem cum igne, cessante calore ignis cessat concursus Dei, quia sunt una indivisibilis actio, perseverat autem calor. Ergo distinguitur concursus ille in re ipsa ab ipso calore.

4. *Diluitur objectio.* — Dices: postea calor conservatur a Deo solo. Respondeo conservari per novam actionem, quia quoties mutatur dependentia a priori causa, necesse est mutari actionem, quia non potest fieri mutatio, vel cessatio in dependentia ab aliqua priori causa sine aliqua mutatione in re facta: non potest autem intervenire nisi in actione, cum in termino non fiat. Hæc tamen doctrina non videtur tam facile accommodari ad actus immanentes animæ, de quibus hic tractamus, quia illi ita pendunt in conservari a potentiis, ut sine illarum influxu manere non possint. Nihilominus tamen etiam in his procedit illatio et assertio, quia in illis distinguitur etiam ex natura rei actio a termino, quod potest ostendi, tum per æquiparationem rationis, quia etiam in lumine et aliis qualitativis, quæ pendunt in fieri et conservari a suis causis, distinguitur actio a qualitate; tum etiam quia in actibus immanentibus potest mutari actio, manente eadem qualitate actus, ut si idem amor elicitus sine habitu charitatis incipiat per habitum conservari, vel alio simili modo, ut latius in Metaphysica et in materia de Anima disseritur: hic vero hæc perfunctorie præmittimus, quia postea erunt necessaria.

5. *Hic concursus est simultaneus cum actione humana.* — Quarto, sequitur ex dictis hunc Dei concursum, vel auxilium, etiam in operibus gratiæ esse omnino simultaneum respectu concursus, seu actionis voluntatis humanæ; ita dixi in lib. 1 de Auxiliis, cap. 4, et nunc invenio communiter recipi a modernis Thomistis. Et Ledesma dicit in hoc debere convenire omnes Doctores, et omnes discipulos D. Thomæ, citatque Cajetanum, 1 part., q. 14, art. 13, quem ego etiam retuli l. 1 de Auxil., cap. 6 et 14. Ratio est manifesta ex dictis, quia vel comparantur actio creaturæ et concursus

Dei inter se, vel comparantur ut attingunt terminum, et in neutro respectu potest intelligi prioritas propria naturæ, quæ in causalitate fundatur; sunt ergo omnino simul. Prior pars probatur, quia ibi non sunt duæ actiones reales, sed una tantum re, et duplex ratione. Et confirmatur: nam sicut illa actio præcise et inadæquate concepta, ut est concursus Dei, est ab illo solo, ita concepta præcise, ut est influxus causæ secundæ, est a sola illa. Ergo ut sic neutra ab altera; ergo neutra est prior in re ipsa (utique prioritate causali) altera; sed neutra est sine altera, et consequenter utraque est simul omnino, vel potius illa actio, cum sit una indivisibilis, simul omnino est, utramque vero rationem in se uniens, et simplicissime complectens. Altera pars probatur, tum discursu facto, quia cum illa sit una simplex actio, tota simul tendit in terminum, et attingit illum; tum etiam quia sicut ille duplex influxus causæ primæ et secundæ propter indistinctionem, non habent inter se causalitatem in suo esse, ita neque habent causalitatem inter se in attingendo terminum; ergo neque habent ordinem prioris vel posterioris naturæ in illa attingentia: tum denique quia terminus non est a causa secunda prius natura quam a Deo, quia hoc est contra dependentiam essentialem creaturæ a prima causa, neque est a Deo prius natura quam a causa secunda, alias et causa secunda ageret incassum, et totus effectus prius esset a solo Deo, et postea vel esset iterum a sola creatura, quod est impossibile, vel iterum a causa prima et secunda simul, quod esset superfluum. Est ergo hic concursus Dei omnino simultaneus cum influxu causæ secundæ.

6. *Objectio ex dependentia causæ secundæ a prima.* — *Prima solutio rejicitur.* — Dices: ergo causa secunda, ut est actu agens, non pendet a Deo tanquam a causa, ex vi hujus concursus, quod videtur dici non posse. Probatur sequela, quia si penderet causa secunda a prima, necessarium esset causam primam in hoc eodem concursu esse priorem natura in causando. Propter hanc rationem multi putant necessariam esse præmotionem Dei in causam secundam, ut ratione illius vere dicatur causa secunda pendere a prima in causando. Sed non oportet unam quæstionem cum alia confundere; nam illa præmotio nec per se necessaria est, ut infra dicam, nec in præsentem ad difficultatem tactam expediendam deservit. Nam etiam admissa tali præmotione, ipsamet pendet a Deo in agendo quoad concursum simultaneum; qualiscumque enim illa motio sit, est

quædam virtus creata, imo dicitur esse instrumentum Dei; ergo intrinsece indiget immediato influxu intime imbibito in actione illius, qui non attingat prius natura effectum quam prævia ipsa motio per actionem suam. Relinquitur ergo eadem difficultas de illa præmotione, quæ est de virtute permanente causæ secundæ, quomodo scilicet pendeat a Deo in agendo, et nihilominus Deus prius non attingat effectum, quam ipsa virtus creata, vel motio.

7. *Secunda solutio rejicitur.* — Alii distinctione utuntur, nam concursus primæ causæ et secundæ dupliciter possunt comparari, primo, ut exeunt a causis suis, secundo, ut attingunt effectum. Et hoc posteriori modo dicunt procedere quæ diximus, quod concursus primæ causæ non prius attingit effectum quam concursus causæ secundæ. Sub priori autem respectu dicunt concursum causæ primæ esse priorem natura, quam concursum causæ secundæ, quia causa secunda pendet a prima in agendo; ergo concursus causæ secundæ pendet a concursu causæ primæ, et ab ipso participat omnem suam virtutem. Sed hæc distinctio non recte accommodatur ad concursum Dei simultaneum, de quo tractamus, licet posset habere locum respectu motionis præviæ: nam illa posita verissime dicitur prius natura exire a Deo et afficere causam secundam, quam actio causæ secundæ ab illa profluat, quamvis illamet præmotio Dei non prius natura attingat effectum causæ secundæ, quam ipsamet causa secunda, ut iidem auctores fatentur. Et quantum ad eandem præmotionem recte etiam dicitur concursum causæ secundæ pendere a concursu causæ primæ, nomine concursus illum prævium significando.

8. Hoc tamen non recte dicitur respectu concursus simultanei et concomitantis, quia in re non distinguitur a concursu causæ secundæ, et ideo non potest esse inter eos realis emanatio vel causalitas; ergo nec prioritas naturæ, sive ut exeunt a causis, sive ut attingunt terminum, quia etiam sub priori respectu non habent inter se realem causalitatem, eo vel maxime quod in ipso concursu non est prior unus respectus quam alius, id est, in actione non est prior natura exitus ab agente, quam attingentia ad terminum spectatum, ut est in fieri; nam, verbi gratia, illuminatio æque primo exit a luce, et tendit in lumen; ergo similiter concursus Dei in illuminatione imbibitus æque primo exit a Deo et attingit lumen; ergo etiam uterque concursus causæ primæ et se-

cundæ, sicut attingunt terminum sine ordine naturæ inter se, ita etiam exeunt ab utraque causa sine eodem ordine: sunt ergo simul natura.

9. *Tertia solutio Capreoli rejicitur.* — Alii vero Capreolus in 2, d. 1, quæst. 2, ad argumenta Durandi contra sextam conclusionem, docet actionem primæ causæ prius natura attingere effectum, quam actionem causæ secundæ. Sed, ut notavi in lib. 1 de Auxiliis, cap. 4, non videtur id intelligere Capreolus de actione Dei ad extra, sed de ipsa Dei voluntate, quam ibi vocat actionem Dei internam, quæ est principium actionis externæ, et sic est natura prior: non tamen negat Capreolus quin actio causæ secundæ sit etiam actio externa seu transiens ipsiusmet Dei, et sic etiam ibidem fatetur unam et eandem actionem transeuntem esse immediate a causa secunda et prima, et ut est a prima, esse concursum simultaneum respectu concursus causæ secundæ. De hac ergo actione transeunte Dei dici non potest quod attingit effectum prius natura quam actio creaturæ, cum in re sint una et indivisibilis actio, et, ob eandem rationem, ut dixi, illa actio non prius natura emanat a Deo quam a causa secunda, prioritate scilicet causalitatis, licet sub aliis rationibus dicatur prima causa prius natura influere, quia ejus influxus, et est intimior seu essentialior, et magis necessarius, et de se magis etiam independens, ut recte notavit Cajetanus 1 p., q. 14, art. 13, § *Neque sustinendus*, et q. 19, art. 8, in fine.

10. *Vera solutio.* — Ad objectionem ergo factam, respondetur negando sequelam, quia ut causa secunda pendeat a prima in agendo, sufficit quod ab illa pendeat in omni re et forma, vel modo, aut conditione reali necessaria ut in esse actu agentis constituatur: pendet autem causa secunda a prima, non solum in esse et conservari, et in virtute agendi, sed etiam in sua actione: nam illamet actio essentialiter pendet immediate a Deo, ut dictum est; per illam autem actionem constituitur causa secunda in esse actu agentis; ergo hoc satis est ut causa secunda pendeat in esse agentis a prima. Quod si causa secunda consideretur prius natura quam agat, ut sic etiam dicitur pendere a Deo essentialiter in agendo, non solum quia per continuum influxum ejus habet virtutem agendi, sine quo illam non haberet, sed etiam quia prædita tali virtute nihil potest agere sine actuali juvamine et auxilio causæ primæ, quod præbet simul cum

illa efficiendo eandem actionem et effectum. E contrario vero dici non potest causa prima dependere a secunda in agendo, quia non postulat consortium causæ secundæ ex indigentia, nam per se est sufficiens ad operandum, si velit, licet ex benigna providentia, ut relinquat suas creaturas operari, talem concursum illis accomodet, quo sine illis non operetur.

11. *Concursus ille ex parte sua non est adæquata ratio productiva effectus quem tamen totum attingit.* — Quinto, infertur hunc concursum Dei sub hac præcisa ratione conceptum non concipi, ex parte ejusdem causæ, ut adæquatam rationem productivam sui effectus, seu termini, licet ex parte effectus totum illum attingat. Probatur prior pars, quia ratio adæquata illius effectus est quædam actio, quæ intrinsece respicit duplicem causam, primam, scilicet, et secundam; ergo illa inadæquate concepta, ut manat a solo Deo, non est completa, et adæquata ratio illius effectus; est ergo inadæquata et sub illa ratione dicitur non esse unica. Declaratur a simili, nam sapientia Dei, sub illa præcisa ratione concepta, recte dicitur non esse unica perfectio Dei, nam justitia intelligitur esse alia perfectio, et sic de cæteris attributis. Unde adæquata Dei perfectio, concepta ut tota perfectio Dei, omnia attributa Dei includit; ita ergo se habet actio illa, prout in re est adæquata, comparata ad concursum causæ primæ et influxum causæ secundæ, præcise conceptos. Ergo quilibet eorum solum concipitur ut actio incompleta ex parte sui principii; secus vero est ex parte termini, ut in altera parte dicebamus, quia quilibet illorum concursuum etiam inadæquate conceptus intelligitur terminari ad totum effectum, seu terminum, quia nihil est in termino quod non a Deo essentialiter pendeat, vel quod non a causa secunda tunc fiat. Nec fingi potest pars in effectu quæ magis attingatur per concursum causæ secundæ, quam alia, ut in sequentibus magis explicabimus.

12. *Obiectio solvitur.* — Objicies, quia si Deus per illum concursum prius natura attingeret effectum, quam causa secunda, totum effectum produceret, ut paulo antea dicebamus, et sentit Cajetanus, 1 part., quæst. 19, art. 8, in fine. Ergo ille concursus, ut præcise concipitur a solo Deo, est totalis ratio illius effectus. Respondetur hypothesim illam destruere propriam rationem et conditionem talis concursus, et ideo licet data hypothesi bona sit illatio, nihil infertur contra positam illationem,

quia non fit illatio de concursu prout modo a Deo præstatur, sed de concursu qui fingitur ex illa hypothesi. Declaratur, quia licet Deus per se sit potens ad faciendum, se solo, effectum causæ secundæ, nunc vero, quando cum causis secundis concurrat, ita illis suum influxum et activitatem accommodat, ut concursus ejus, prout nunc præstatur, non sufficiat efficere effectum si causa secunda non coagat, quia Deus (ut sic dicam) in tali modo agendi non vult esse operator, sed cooperador, ut in Metaphysica dixi.

13. *Falso accusatus auctor.* — Ex quo intulit quidam modernus scriptor, insinuas me in illo loco, quod si in aliquo priori naturæ causa prima concurreret, et non produceret totum effectum. Hoc autem neque in mentem meam venit, neque ex verbis meis potest cum probabilitate colligi. Sed potius immediate infertur fieri nullo modo posse, ut hic concursus Dei, prout de facto datur, prius natura attingat effectum, quam influxus causæ secundæ, quod est verissimum, et satis probatum in corollario; quod etiam idem auctor admittit; ideo paulo inferius fatetur ita esse de facto quod Deus, ut nunc concurrat cum causa secunda, non prius attingit effectum quam illa, ideoque nec sine illa producit effectum. At vero, posita hypothesi quod Deus vellet suo influxu prius natura attingere effectum, tunc quidem produceret totum effectum actione totali, tam ex parte principii quam ex parte termini, quia Deo non deest virtus, et per illam voluntatem applicaret totam virtutem necessariam. Tunc autem concursus Dei esset alterius rationis, imo non esset concursus, quia particula *con* dicit comitantiam alterius, sed esset absoluta effectio, et tunc creatura vel nihil ageret, vel incassum ageret, quod præsentis quæstioni est impertinens. Si autem talis fingatur hypothesi, ut, manente eodem concursu prout nunc datur, prius natura attingat effectum, dico hypothesim involvere repugnantiam, quia implicat concursum esse simultaneum per entitatem in eadem indivisibili actione, et prius natura attingere, ut probatum est. Et ideo, data illa positione, sequitur per talem concursum totum effectum fieri, quia aliquid fit, cum sit actio, quæ supponitur terminum suum attingere, utique producendo illum, et non partem, tum quia non est major ratio de una quam de alia, tum quia terminus illius concursus est totus effectus, ut dixi. E contrario vero etiam sequitur, posita illa hypothesi, nihil omnino fieri, quia deest conco-